

sibus & postulatis intricata, ut indoctus ea sæpe assequi non possit, & doctissimi non raro reperiant, quod in iis desiderent.

XI.

Non desunt, qui Orthodoxis intentant possibilis in hac materia demonstrationis defectum per consequens ex assertione notitiæ insitæ seu concreatæ: Disputant enim contra Anselmum & sequaces, posito DEUM esse vel existere esse per se notum, non posse illud idem principium demonstrari, cum contra naturam sit principiorum, & propositionum per se notarum, ut demonstrantur, argumenta ergò si quæ adducuntur saltem explicare, quid nomen DEUS significet.

XII.

Prosternit autem hæc ferocientis ingenii temeraria effata omnia & singula Assertio Paulina, Rom. c. 1. v. 20. cujus Exegesin in præcedente Exercitatione præmisimus, ex qua sequentia nobis surgunt argumentorum pondera. 1. *Quicquid ex creaturis interveniente Mentis attentione pervidetur, illud ipsum evidenter est demonstrabile. Atqui ex creaturis invisibilia DEI, Existencia sc. potentia, sapientia, bonitas & similia interveniente Mentis attentione pervidentur. E.* 2. *Quicquid ita elucet è Creaturarum speculo, ut omnem Excusationis colorem gentibus adimat, illud Evidentis est demonstrationis. Atqui Invisibilia DEI, ita elucet è Creaturarum speculo, ut omnem Excusationis colorem adimant. E.*

XIII.

Scripturæ itaque sese opponit, & gentium Apostolo obloquitur *Alliacensis*. Neque sufficit primò ad intentum illius argumentorum pro Existencia DEI depulsio. Si enim 1. ex eo, quod ad rationes pro thesi quadam adductas, responsiones ab Adversariis pervicacibus adornari solent, consequens foret, illam non esse demonstrabilem, corrueret totus Christianismus, vix enim argumentum pro Orthodoxia ostendi potest, ad quod non solutiones pararint hæretici. Argumentum 2. Paulinum loco Rom. 1. v. 20. citato, aut agnoscat *Alliacensis* solubile, aut non, si prius arguat Paulum etiam cujusdam Scepticismi, dicat in certamine cum gentilium Philosophis produxisse levis armaturæ militem, arundine usum, non gladio penetrante in decretoriâ pugnâ: Si posterius, agnoscat esse argumentum aliquod solidum, insolubile pro Existencia Numinis, quod omne acumen humanum obtundat, esse possi-

sibi.